



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 126 ad 150

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1765

VD18 15558428-001

Psalmus CXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53443](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53443)

PSALMUS CXXVI.

Titulus, & argumentum: *Canticum graduum Salomonis.*

Psalmus etsi obscurissimus sit; probabilior tamen videtur esse expositio græcorum S. S. Chryso. Theodoret. Euthym., quod nempe pertineat hæc prophetica exhortatio, sive admonitio ad populum Hebræorum post reditum è captivitate Babylonica, dum laborabant in ædificandâ domo Dei, & restaurandâ urbe Jerusalem, & à vicinis gentibus toto ferè illo tempore vexabatur, & impediabatur. Congruit titulus, qui Salomoni tribuitur: nam ipse prior ædificavit domum Domini, & civitatem Jerusalem amplificavit, & multis bonis replevit. Ipse igitur commode introducit, qui admoneat Zorobabelem, qui fuit quasi alter Salomon, quomodo se gere re debeat in domo, & civitate reædificandâ, custodiendâ, & amplificandâ.

*Altiore sensu verus Salomon, h. e. pacificus, Christus, qui est pax nostra, juxta Apostolum, admonet eos, qui ad veram pacem aspirant, & aspirando ascendunt de valle lacrimarum ad visionem pacis, Jeru-
salem*

salem Cælestem, quomodo debeant ædificare, & custodire domum, sive civitatem Ecclesiæ: tum etiam unusquisque sibi per bona opera domum ædificare in Cælo, eamque custodire, ut ad eam suo tempore feliciter inhabitandam, perpetuòque possidendam ascendat.

¶ 1. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.*

Hæc dicuntur Judæis ædificantibus templum, dum infeliciter opus procedebat, impredientibus vicinis gentibus, 1. Esdr., monenturque, ut non solum manibus operentur, sed etiam corde, & ore Deum invocent, & in ejus adjutorio præcipuè fidant. Idem dictum sit animarum Curatoribus, & cuivis pro salute suâ æternâ laboranti.

¶ 2. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.*

Urbs Jerusalem non tantum reædificanda, sed simul custodienda, erat, 2. Esdr.: nam gentes vicinæ non solum impedire conabantur ædificationem, sed & demoliri, quod erat ædificatum: & ideo filii Israel unâ manu gladium tenebant, alterâ

alterâ faciebant opus; & multi eorum dispositi ad custodiendum, perpetuas agebant excubias. Sed nihilominus tot vigiliis suis nihil profecissent, nisi Dominus civitatem custodire voluisset.

N. 3. Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Alloquitur filios Israel, qui præ nimiam sollicitudine ante lucem opus ædificationis aggrediebantur. *Vanum est vobis ante lucem surgere* ad opus ædificationis, nisi scilicet Dominus *ædificaverit domum, vel custodierit civitatem*, & ideo confidentes in Domino, & illum assiduè invocantes, post nocturnam, ac necessariam quietem *surgite* ad opus, qui in angustiâ, & oppressione jam vivitis ob infestationem continuam inimicorum. Sensu altiori: Vos Præpositi Ecclesiæ, & singuli fideles, *Vanum vobis est ante lucem surgere & totum tempus consumere in ædificatione, vel custodiâ domûs aut communis, aut particularis: Surgite* ad opus, *postquam sederitis* vacantes quieti contemplationis, & orationis, qui præ desiderio patriæ Cælestis assiduè gemitis: *Fuerunt mihi lacrimæ*

crimæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?

v. 4. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris.

Post admonitionem addit consolationem, prædicens, fore, ut post præsentibus tribulationibus det Dominus pacem, & quietem populo suo, & tunc filios Israel manifestè futuros Dei hæreditatem, & potentissimos, atque fortissimos, ut nullos deinceps hostes passuri sint. Altiori sensu: cum post varios labores, & certamina dederit Deus omnibus dilectis suis, tam Præpositis Ecclesiæ ædificatoribus, quàm privatis fidelibus domum sibi per bona opera ædificantibus, somnum bonæ mortis, tunc apparebit in die iudicii, quòd dilecti transibunt in æternam Dei possessionem, & hæreditatem: & iidem filii erunt merces Christi, qui est fructus ventris, quia salus electorum est Christi merces: ipse est enim, qui gratiam, & gloriam electis suis patiundo, & moriendo promeruit.

v. 5. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.

Decla-

Declarat potentiam filiorum Christi, qui sunt ejus hæreditas, & merces, ac dicit fore potentissimos, quales sunt sagittæ in manu viri robustissimi, quæ maximo impetu jaciuntur, & omnia perfrangunt. Loquitur autem de spirituali potentia servorum Christi, quæ non minus cernitur in actione, quàm in passione: nam cum instar tonitruï, & fulguris terrefaciunt, & convertunt infideles ad fidem, vel peccatores ad pœnitentiam efficaciam prædicationis, splendore sanctitatis, miraculorum virtute; & quando tormenta omnium generum incredibili patientiam, & fortitudine ad mortem usque decertantes pro fide, & pietate tolerant, quid sunt aliud, nisi *sagittæ in manu potentis*? Sed cur filii isti tam fortes dicuntur *filiï excussorum*? Quia filii sunt hominum ejectorum, & expulsorum à Mundo, quasi quisquilliæ, & rejectamenta; nempe filii Prophetarum, & Apostolorum. De Prophetis lege *ad Hebr. C. II. à v. 36.*; de Apostolis *1. Cor. 4. à v. 9.* Et tamen isti ita excussi, & rejecti, fortissimi fuerunt, & de Mundo, & de Dæmonibus mirabiliter triumpharunt. Ho-

rum filii sunt omnes electi, qui *sicut sagittæ in manu potentis hostes vulnerârunt, & vicerunt.*

v. 6. Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis; non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

Concludit per Epiphonema acclamando ipsi Domino Christo. Verè felix est ille Christus, quia perduxit ad finem desiderium suum, quod erat videnti salutem, & gloriam filiorum suorum, pro quibus tam multa fecit, & pertulit: & ideo in ultimo iudicio, quod exercebitur in amplissimâ portâ, h. e. in conventu totius Mundi, *non confundetur, cum loquetur inimicis suis Dæmonibus, & hominibus iniquis, sed eos potius confundet, & convincet injustitiæ in persequendo Ecclesiam.*

PSALMUS CXXVII.

Titulus: *Canticum graduum.*

Argumentum est *exhortatio ad pietatem propositâ ingenti mercede Virtutis.*

v. 1. Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.

Docet